



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. CCCXXV. De Combustione suburbii castri Gedemini & caeteris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

Sed dum viderent exercitum Christianorum, ruptis nimis mature insidiis fugientes evaserunt.

## CAP. CCCXXIV.

*Quomodo Deus fratres cum magno exercitu mirabiliter à periculis mortis liberavit.*

Anno Domini MCCCXVII. tempore hyemali frater Henricus Marschalcus & fratres & pugnatores de Sambia & Nattangia dum venissent ante territorium Waykinam, in primo somno noctis tempore, audita fuit horrenda intemperies aëris & insolita, quia venti in modum tonitruum tam horribiliter mugiebant, quod præter timorem, qui per hoc hominibus fuit incensus, equi plures quam quingenti fractis frenis & canistris fugiendo discurrerunt per sylvam. Unde factum est, quod equis omnibus præter paucos cum magno labore & tædio recollectis fratrum exercitus est reversus. Postea compertum fuit in veritate, quod magna multitudo infidelium parata in armis fratres & eorum exercitum per tres dies expectavit, & si Christiani intrassent ad deprædandam terram ipsorum, nunquam aliquis ipsorum sano capite rediisset.

*Anno Domini MCCCXVII. Joannes Papa Beatum Lodovicum Germanum Roberti Regis Sicilia Ordinis fratrum minorum canonizavit, & præcepit diem natalis sui, V. die post Assumptionem Beatae Virginis celebrari.*

## CAP. CCCXXV.

De

*Combustione suburbii castri Gedemini & cæteris.*

Eodem

Eodem anno in æstate circa festum Nativitatis B. Joannis Baptistæ idem Marschalcus cū fratribus & viris de Sambia dum venisset circa territorium Pograndam, divisit exercitum suum in IV. turmas. Sic quod Fr. Hartmannus & Fr. Fridericus Quitz cum LX. viris quasdam villas hujus territorii debebant invadere, sed erraverunt in via nihilque egerunt. Secunda pars exercitus, sc. fr. Fridericus de Libencele Commendator de Raganita cum CL. viris debebat latenter subintrare castrum Gademini & expugnare, sed nescio quo casu castrenses præmuniti castrum defenderunt, suburbiò penitus à fratribus concrematò. Tertia pars, scilicet Fr. Albertus de Indagine & LX. viri intraverunt habitationem cujusdam Nobilis & potentis viri dicti Sudargi, & eam cum villis circumjacentibus in cinerem redegerunt, uxorem ipsius & liberos & familiam cum multis aliis mulieribus & parvulis ceperunt, viris pluribus interfectis. Quarta pars exercitus fuit sub vexillo fratrum, cujus ductores dum errarent in via, etiam nihil egit. Tandem exercitus totus collectus ad propria est reversus.

## CAP. CCCXXVI.

De,

*Quodam facto.*

IN hoc exercitu accidit quoddam factum dignum memoriâ, dum frater Albertus de Indagine insultum faceret cursitando ad locum sibi deputatum, quidam armiger de equo suo cespitante cecidit. Et dum sic graviter læsus post longam moram resumptis viribus surgens, equum suum & fratrum exercitum undique circumspiciens, non videret turbatus ultra modum suspirans, elevatis oculis in cœlum, B. Virginem devotissimè pro auxilio invocabat, & facto signo crucis Deo & B. Virgini commen-

Ccc 2

dabat